

tas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Inter hæc, per Castellæ & Legionis regnum, in quo patri Alphonso successerat, collectis magnis exercitibus, annuas expeditiones contra Saracenos, Christiani nominis hostes, suscipit. In quæ, ut semper vinceret, præcipui exercitus fuere preces pissimi Regis ad Deum fuisse, & quiddam ante pugnam, ut sibi Deum propitiaret, flagris in se sævièbat, atque áspero cilicio muniebat corpus: sicque insignes contra ingentes Maurorum acies victorias reportavit, & plures urbes Christiano cultui imperioque restituit; & conquistis Giënni, Córdoba & Murtiæ Regni, ac Granaténsi vechigali factò, ad expugnandam Hispali, primariam Bœticæ urbem, hortante in visione, ut traditum est, beato Isidoro, olim illius urbis Episcopo, victorica signa transtulit. In ea obidione, ut fertur, præsentem divinam opem habuit; nam ferræam catenam, quæ super Bœtiam transversim extensa, Mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori vento, una ex navibus regis, Regis jussu eò delata, tanto impetu fregit, ut longinquè prætervechta, pontem quoque ligneum, & simul spes Maurorum obruperit, & ad deditionem coegerit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loriam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Tot victorias beate Virginis Mariæ patrocinio ferèbat acceptas: cujus imaginem secum in castris habens, peculiari cultu pro-

sequèbatur. Captà Hispali, prima religionis cura fuit, nam templum Maurorum expiatum, & Christianorum dedicatum sacris, insigni Archiepiscopatum, & honestissimo Canonicorum & Dignitatum collegio, regià & religiosà liberalitate exornavit. Alia deinde in urbe Tempia & Cenobia erexit: inter quæ pietatis officia, dum trajicere in Africam parat, Mahometanum in ea imperium eversurus, ad cœlestem regiam vocatur. In extremo vitæ agone sacram Eucharistiam pro Viatico allatam, fume ad collum alligato, & humi stratus, cum lacrymis ubertim fuis adorans, eaque dignis reverentiæ, humilitatis, & Catholicæ fidei obstationibus accepta, obdormivit in Domino. Jacet ejus corpus incorruptum adhuc post quatuor sæcula, in Templo maximo Hispalénsi, honorificentissimo inclusum sepulchro.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te, Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri in Evangelium Nolite timere, de Communi lxx. cum nona Lect. & Comm. in Laudib. S. Felicis. P. & M. ut in Brev.

Per totam Octavam S. Ferdinandi fit de Festis occurrentibus cum Commem. Octav. juxta Rubr. generales.

DIE XXXI. MAIL.

Secunda die infra Octavam

S. Ferdinandi.

Omnia dicuntur ut in die Festi, præter Lectiones j. Nocturni, quæ dicuntur de Scriptura occurrente; & Lectiones secundæ & tertii Nocturni.

turni, quæ dicuntur ut infra nocturnum.

In secundo Nocturno, Sermo S. Joannis Chrysostomi. Beati Ferdinandi dies, cujus Festivitate, ut in Communi Confessoris non Pontificis j. loco.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia Sancti Fulgentii Episcopi.

Ex Sermone de Confessoribus.

Si non omnes possunt implere, quod Dominus ait: Vendite quæ possidetis; illud tamen, quod adjecit, dicens: Date eleemosynam, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferveat charitas; omnibus debet esse commune, ut omnibus donetur æterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit à Domino, ut omnia quæ in mundo sunt, cœlestis regni amore contemnât, quæ habet vendat, & egenis expendat: qui verò tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, in quantum habet, eleemosynam faciat.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, absintens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viii.

Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Effi-

ciatur ille gloriôsè dignus, sit iste laudabiliter largus. Sit ille sanctæ pauperiatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator. Habeat iste apud Deum patrônus pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum Domino judicaturus sedeat, sit iste talis, qui ad dexteram judicandus assistat. Sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo jure possideat, sit iste talis, quem ille recipiat.

R. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos similes. Glória Patri. Et vos similes.

Lectio ix.

Thesaurum nostrum, fratres, in cœlis ponamus; ut etiam cor nostrum in cœlis habere possimus. Necesse est enim, ut qui præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Ut ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? Attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas.

Te Deum laudamus. 12.

In Laudibus fit Commemoratio S. Petronillæ Virginis, ut in Breviar. Rom.

FESTA JUNII.

DIE I. JUNII.

Tertia die infra Octavam S. Ferdinandi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente,

Rrr 3

In

In secundo Nocturno.

De Sermone Sancti Joannis Chrysostomi.

De S. Philogonio, ante medium.

Lectio iv.

AD hanc beatam requiem transiit beatus Ferdinandus: quam igitur oratio par sit veri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla: Sed age, dic mihi, non idcirco silēbimus? & cuius rei gratia convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem haec est praecipua laudum illius pars, quod factis verba aequiparari non possint. Nam quorum beneficentia naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus praestamus, sed suum imitabimur Dominum; siquidem & illa viduae duos tantum obolos deicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem, sed multo amplius reddidit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Proinde quamvis nostrae facultates exiguae sint, minimique pretii, attamen, quae possimus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum animae praecleari justique Ferdinandi, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent divites. Siquidem illi,

cum acceperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant, obtulerint. Idem & hic, cum acceperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum. * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Unde igitur laudationem illius auspicabimur? An a magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiae. Quam ob causam? quoniam & sollicitudines amicorum, & circumcurvationes, & adulationes, aliaque permulta his foediora tales magistratus solent conciliare. Ceterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, incorruptum defragium, alienum ab omni suspicionem iudicium, indubitata fuerit delicti comprobatio propter eum, qui delegit, auctoritatem.

R. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrede in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Quia te. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap. 12. d.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pu-

sil-

illus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Chrysostogi.

Ex Sermone 22.

Praemia statuuntur iis semper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro magnitudine certaminis, praemii proponitur magnitudo. Hinc est, quod discipulis suis Christus regnum ponit in praemio, ut in certamine non cedant periculis, non timore. Pericula despicit, qui tendit ad regnum: victoriae cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo, magno Deo: pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ovium innocentiam, & mansuetudinem Christianam.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viii.

Ad hanc quid faciendum sit regnaturis: Vendite quae possidetis. Non potest dominari omnibus, nisi is qui propriis non tenetur. Dejectae mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum; jacens animus plebeus nummulum thesauris regalibus antepōnit. Pauper sensus parvis incubans, perdit magna: & inhians temporalibus, deserit sempiterna. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare; manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari saeculo imperavit: jussit te transferre, non perdere.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris. * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Plures consilio patris ager, quam jure dominantis. Inter insidias latronum & tinearum morsus quare tua recondas, objurgat: pervigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora ne tibi ipse facias, commonearis. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem; & cui deest securitas, quies perit; praena dives est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in caelo: hoc est dicere: Ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo: quia & heredi Pater, & Deus homini creditum non negabit: terebra non potest, quia sua dedit. Te Deum laudamus. 12.

In ij. Vesperis fit Commem. SS. Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum.

Oratio in Breviario.

DIE II. JUNII.

Quarta die infra Octavam S. Ferdinandi.

In secundo Nocturno.

De Sermone Sancti Joannis Chrysostomi.

Unde supra, paulo post.

Lectio iv.

Quamvis autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum iudicavit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petrus? Postquam enim illum interrogasset: Petre amas me? isque respondisset: Tu Domine scis quod amo te; dicit illi: Si diligis me, pasce oves meas.

Rrr 4

Hoc

Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quantum ipse diligenter Petrus: verum etiam, ut palam faceret, quantum haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerit utilitatem, fratrum suorum salutem prospiciat.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seducto-ribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO v.

Nullum enim officium hoc Deo charius est; & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetivit te satanas, ut cribraret te tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid ingratum hujus sollicitudinis curaque praemium mihi rependis? eandem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam & tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neque proles alia res est, quae perinde declaret, doceatque quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, & ornavit eum. Et ad.

LECTIO vi.

Hae omnes audiant & Monachi, qui montium occupant cacumina, quique modis omnibus seipso mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum praefectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate; scientes, quod nisi modis

omnibus opulentur iis, qui tot periculis obiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxiliantur, quamquam procul habitantes, & victus sors ipsis perisset, & tota in scopulum impigisset sapientia.

R. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia Sancti Petri Chrysostomi.

Ex Sermone 23.

Audistis hodie, quemadmodum Dominus pastorali júbilo clangorem tubae caelestis adjunxit, ut diu inclinatas ovis mentes ad divina tolleret, caeleste protinus promovéret ad regnum. Acquisivit humilitas, superbia quod amisit: & grex pusillus ac mitis, totas & varias edomuit propria mansuetudine feritates: pusillus grex vicit, ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit iugo Christi nationum.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, & verus Dei cultor, abstinentes se ab omni opere malo, & per-

permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio vij.

Grex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentilis saevitia sanguine satiata, vel carnibus, Evangelici pabuli suavitatem, & divini fontis fluentem degustans, toto contagium seculi evitaret, & pastum: atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensit ante Prophetas, hoc Apostolos implens, hoc pertulisse Martyres constat, attestante illo qui dicit: Propter te mortificamur tota die, estimati sumus ut oves occisionis. Ut vero iste grex novi ordinis aggredere tur praedium, ubi vivit ille qui fuit occisus; imitatus est suum Regem, illum secutus est Agnum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Pro SS. Marcellino, Petro, atque Erasmo Martyribus Lectio ix. ut notatur in Breviar. & fit Commemoratio in Laudibus.

DIE III. JUNII.

Quinta die infra Octavam S. Ferdinandi.

In ij. Noct. Ex libro Moralium S. Gregorii Papae. Deriditur iusti simplicitas, ut in Breviar. de Comm. Conf. non Pontif. ij. loco. lxiv.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri

vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysostomi.

Unde supra.

Sed audiamus jam, quid pusillo gregi talis promiserit pastor. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. O bonitas effusa! o insudata pietas! o ineffabilis affectio! In societate census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos Dominus adsciscit: ad principatum regni Rex gregem populi totius admittit. Sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest, largiendo.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, & verus Dei cultor, abstinentes se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio vij.

Ecce qui dat, dare loquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit: non potestatem minuit, sed pandit affectum, sic dicendo: non distantiam facit, sed Patris suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit: Complacuit; & non dixit, Placuit; munus edocet Trinitatis: quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Le-

Lectio ix.

Post tantam ergo Dóminus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abjecta & vilia pecúlia servitútis jubet abicere regnatúrurum. Vendite quae possidetis, & date elemósynam. Plebéum cultum régia non admittit potestas, augústus honor nonnisi diadémate confertur & purpura. Abicere ergo debet hábitum servitútis, qui se regem credit divinitus consecrátum. Est consuetudinis, est ánimí felicitas, ut adscítus ad regnum, quod fuit próprium, quod privátum; mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus, liberaliter prorogáre, ne sit mendicis ánimó, qui censu lunctus & honore.

Te Deum laudámus. 12.

DIE IV. JUNII.

Sexta die infra Octavam S. Ferdinandi.

In secundo Nocturno.
Ex libro Morálum Sancti Gregórii Papae.

Lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.

Lectio iv.

Benè justí simplicitas, & lampas esse dicitur, & contempta: lampas, quia intérius lucet; & contempta, quia extérius non lucet. Intus ardet flammá charitátis, foris nullá glóriá resplendet decóris. Lucet ergo, & despíctur, qui flagrans virtutibus abjectus aestimátur. Sed usquequó lampas ista contemnitur, usquequó despícabilis habétur? nunquid non fulgorem suum nullatenus exerit, & nunquam, quantá charitáte candeat, ostendit? Ostendit plané: nam prótinus additur, parátá ad tempus statútum. Statútum quippe

contemptae lámpadis tempus, est extrémí iudicii praedestinátus dies, quo justus quisque, qui nunc despíctur, quantá potestate fulgeat, demonstrátur.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.
V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Tunc enim cum Deo júdices véniunt, qui nunc pro Deo injústé judicántur. Tunc eorum lux tantó latius émicat, quantó eos nunc manus persequéntium durius angústat. Tunc reproborum oculis patéscet, quòd celestí potestate subnixi sunt qui terréna ómnia sponte reliquerunt. Unde eléctis Veritas dicit: Vos, qui secúti estis me, in regeneratione, cum séderit Filius hóminis in sede majestatis suae, sedébitis & vos super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël. Neque enim plusquam duódecim júdices illa interní consésus cúria non habébit, sed mirúm duodenário número quantitas univérsitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariae potestatis obtinébit.

R. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorice fidei, & ornávit eum. Et ad.

Lectio vi.

Hinc est enim, quòd de sanctae Ecclésiæ sponso per Salomónem dicitur: Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Hinc Isaias ait: Dóminus ad iudicium véniat cum senio-

ri-

ribus pópli sui. Hinc eósdem seniores Veritas non jam fámulos, sed amicos denúntiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amicos meos. Quos Psalmista intuens, ait: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Quorum dum celestíudinem cordis aspiceret, mundi glóriam qua calce calcárent, prótinus addidit: Nimis confortatus est principátus eórum. Ac ne paucos esse crederémus, quos profice-re usque ad summam tantae perfectiónis agnóscimus, illico adjúnxit: Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur. Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libénter humiliant, tot tunc in iudicio lámpades corúscant.

R. Iste homo perfécit ómnia, quae locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad celestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere putillus greg, quia compláuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilia S. Petri Chrysólogi.

Unde supra.

Tali ergo providentiá Dóminus, consilio tali, villa & caeduca jubet ut vendámus, ut largiámur, ut donémus, qui in celestí regno ómnia, quae in caelo & quae in terra sunt vólumus possidere. Sed si vis servare tuórum pretia praediórum, & saeculórum forté cóndata te deléctant, fac tibi sácculos quales ille praecipit, qui

jam cupiditátis tuae custos est & provisor. Denique ut vidit quòd dóríter dixit: Vendite quae possidetis; mox adjécit, Facite vobis sácculos qui non veteráscunt, thesaurum non deficiéntem in caelis.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operátus est, & de ómni corde suo laudávit Dóminus: * Ipse intercedat pro peccatis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstínens se ab ómni ópere malo, & permanens in innocéntia sua. Ipse intercedat.

Lectio viij.

Iterum contristatus es, quia quod habes, in caelis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis: magis Deo quam hómini commenda. Sed si times ne quid inde prasúmat, ne quid dispérgat pietas largitórís, signa fidei ánnulo sácculos tuos, ut tali custode dormias tu securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non póterit tibi tum pecúniam denegáre, qui tibi ómnia sua cónsulit, qui te regni sui & honore ditávit & glóriá.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectántibus dominum suum, quando revertátur á nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia ventúris quá hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Ex Sermone 25. circa finem.

Lectio ix.

Novo modo, imó celestí modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recóndit erogando, dum amittit, acquirit. Quam cupit pecúniam perduráre, perpetuare sácculos divitiarum, cóndata permanere, qui dicit, Facite vobis sácculos quales ille veteráscunt. Ec-

Ecce docet avaritiam, qui cœperat suadere contempturn. Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sæculos sine fine perquiri. Christe, quò te pèrrahit amor tuorum? Ut avàrum lucrificias, facis eum quod desiderat, non quod oportet audire: sæculos impèras, ut avàrus, dum consuetà percurrit ad lucra, aut virtutem cæpiat, aut à virtute capiatur.

Te Deum laudamus. 12.

DIE V. JUNII.

Septima die infra Octavam S. Ferdinandi.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 1. de S. Victore.

Lectio iv.

Sancti Ferdinandi vita & gloria specialis, non tam ad gloriam, quam ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed perversi est animi, antè querere gloriam, quam exercere virtutem, & velle coronari, qui legitime non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Ita est: frustrà ad celsitudinem nititur gloria, qui prius non claruit virtute. Frustrà fatuæ virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideò fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

¶ Honèstum fecit illum Dòminus, & custodiivit eum ab inimicis, & à seductòribus turavìt illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ¶ Justum deduxit Dòminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Virtus, gradus ad gloriam; virtus, mater gloriæ est. Fallax gloria, & vana est pulchritu-

do, quam illa non parturit. Sola est, cui gloria jure debetur, & securè impèditur. Sancto Ferdinando nec virtus, nec gloria cœst: sed quemadmodum ambo res, & quo ordine in homine processerunt, id opèrèptium intueri. Habemus enim, dilectissimi, in vita Ferdinandi, & quod dignè mirèmur, & quod salubriter imitèmur. Tutius sanè emulanda solidiora, quam sublimiora, & qua magis virtutem redoleant, gloriàm minùs. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi vòlumus, non valèmus.

¶ Amavit eum Dòminus, & ornàvit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶ Induit eum Dòminus Ioriceam fidei, & ornàvit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Æmulèmur in viro sóbrium victum, devotum affectum; castimóniam mansuetudinem spiritus, castimóniam corpòris, oris custodiam, animi puritatem, ponere frænum ire, & modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonère nosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, dièbus jungere noctes, & divinis laudibus occupare; emulèmur charismata meliora. Emulèmur, inquam, quòd extitit liberális in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui impriamur, in miraculis gloria, à qua reprimamur. Illa lificent, ista ædificent: móveant illa, ista promóveant.

¶ Iste homo perfècit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ¶ Iste est qui contemp-

tèmpsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua. De Homilia Sancti Petri Chrysostogi.

Post supradicta.

Verè Pater es, o Christe, qui cum tuis quibuscumque parvulis sic agis. Namque & nos interdum nostris parvulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiòrum, fallentes insipientiam, non decipientes affectum. Dixisti: Facite vobis sæculos, qui non veterascunt. Sæculus cur paratur? quid ibi claustra, ubi ipsa custos est innocentia? ibi quid signaculum, ubi fraudis suspicio non habetur? si & in cœlo sæculus opus est, cura non amittitur, sed mutatur.

¶ Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dòminum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populòrum. ¶ Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opère malo, & pèrmanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viij.

Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sæculis sit avàris; & ideò impuribiles in cœlo sæculos vis parari; ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sæculos suos. Avare, fac tibi sæculos, & fac jubente Deo: quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sæculos erogando: quia quidquid pauper acceperit, Pater cœlestis

suscipit. Et ubi recòndit? in cœlo. Et ne fortè perdidisse te dolens, vel usuram, cœntuplum in cœlesti fœnore recipies, quidquid in cœlum paupere transmissis perferente. ¶ Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dñm sum, quando revertatur à nuptiis. ¶ Vigilate ergo, quia nescitis quà horà Dòminus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Usura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum; & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti. Quare? nonne homo homini exiguae chartulæ obligatione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus caret, & debitor non tenetur? Sed dicis: Esto quòd debeat, quo exigente restituet? Seipso: quia non potest ille mentiri, idem ipse est & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo, quod tibi Deus dedit: majora reddere vult, cum vult debere largitor.

Te Deum laudamus. 12.

DIE VI. JUNII.

In Octava Sancti Ferdinandi.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones, quæ dicuntur ut infra: Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Sermone 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudete in Dòmino dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indultis hominem mundo, cujus multo salvarentur exè-

exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo in caelum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos postulare desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Quid enim quaerit sibi, qui nullus eget?

R. Honestum fecit illum Dominus: & custodivit eum ab inimicis, & a seducoribus tutavit illum: **R.** Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Haec dies gloriose migrationis ejus, dies laetitiae cordis ejus: exultemus, & letemur in ea. Introlvit in potentias Domini, gaudemus, quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Ferdinandusposito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie despexit mundo, & mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriae. Ascendit autem cum immensa suppellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate & securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem: quam pari studio, etsi dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec facile dixerim, quid virum astruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum, **R.** Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad,

Lectio vi.

O Miles emerite, qui Christianae militiae curis laboribus Anglicae felicitatis requiem commutasti; respice ad imbelles & imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, & spirituales nequitas tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Ferdinando, in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, & memoriale tuum, favus distillans in labiis captivorum, mel & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adiutorium nobis; ut & nos de nostra erectione gaudeamus, & tu de plena victoria gloriaris.

R. Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: **R.** Quia te vidi justum coram me: ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii.

Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Sermone 25. in initio.

Hodie Dominus Evangelici gregis pusilla & tenera primordia quam blanda exhortatione sit con-

Lectio ix.

solatus, audistis. Auferi spes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit & excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeo censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet, qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena depunit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: **R.** Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinentes se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio viii.

Sed scire convenit, Pater iste qui est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis est iste Pater, quotidie te confitentem cognoscis, cum clamas: Pater noster, qui es in caelis. Pater autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti. Ex nihilo fecit caelum, terram solidavit ex liquido, montes statuit ad statemas, maria intra legitimis terminos sola praecipiti auctoritate conclusit. Verum si regni, quod promittit pusillis, consideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum caelorum. Esse in caelo mirum est: in caelo vivere, est majestatis.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucerna ardentis in manibus vestris: **R.** Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et. Gloria Patri. Et.

Quid ergo cum terra illi, qui possidet caelum? quid illi cum humanis, qui indemptus est jam divina? Nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis. Sed videamus, quod dat Pater tantum consilium regnatoris. Vendite quae possidetis, & date eleemosynam. Si victuros vos, si regnatos, si vos jam divites esse creditis in supernis, ubi futuri, quo migraturi, ubi regnaturi estis; vos illa, quae vestra sunt, jam praecedant: opes miseram misericordiam computate: quae humana sunt in divina convertite. Te Deum laudamus. 12.

DIE XII. JUNII.

In Festo Sancti Joannis a Sancto Facundo Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Brevariario Romano sub hac die.

Sed in Diocesis Burgensi, Legionensi, & Salmantina, Duplex II. Classis, sine Octava, & Lectorum primi Nocturni. Justus si morte. de Communi. lxvj.

DIE XVI. JUNII.

In Festo Sancti Joannis Francisci Regis Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, liv. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno. Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

Oratio.

Deus, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores beatum Joannem Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate, & invicta patientia decorasti: concede propitius; ut ejus exem-

exemplis instructi, & intercessionibus adfati æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum, &c.

Lectioes primi Nocturni, de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joannes Franciscus Regis nobilitate natus in oppidulo Narbonensis Galliarum, cui nomen Fonscœpertus, eximia sanctitatis à teneris annis indicia præbuit. In eo jam tum eluxere mira morum innocentia, flagrans orationis studium, pudor, & modestia singularis. Societatem Jesu ingressus Tolosæ anno ætatis decimo nono, humilitate, obedientia, charitate, odio sui, cæterisque vitæ religiosæ virtutibus excellit. Absolutis studiis, totum se procuranda animarum salutis penitus devovit. Asperos Vivariensium, Velaunorum, & Forensium montes & ingentes Helveticorum tractus, glaciæ, nivibusque fere perpetuis horridos, eorumque colonos incitiam rusticitatem, barbarie intractabiles suscepit excolendos, eo successu, ut innumerales homines, aut Calvinianæ lue infectos, aut perditis moribus corruptos, ad Catholicam fidem, & ad Christianam pietatem traduxerit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoriibus tutavit illum: **V.** Et dedit illi claritatem æternam. **R.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Campèstribus missionibus herbæno tempore perfunctus, æstivo revertebatur Anicium, ibique in nosocomiis, & in carceribus, in privatis ædibus, in compitis, ac templis omne hominum genus om-

nibus omnia factus sublevabat. Pauperum greges, corrogatis undique subsidiis, præsertim cum sæviret famas, multiplicato etiam non semel per miraculum frumento, sustentabat. Unde illi patris pauperum cognomen inditum fuit. In flagitiosis hominibus, & perditis præsertim mulierculis è vitiorum cœno educendis, vix credibile est quot probera, ludibrijaque pertulerit, erecto semper, & alacri vultu imperterritus, licet gladiis jugulo sæpe admotis, alapis ori impactis, & fustibus corpori. Grassante peste, infirmos eo morbo laborantes sedulo invisens, ardenti reficiebat charitate. Erga alios blandus, ac beneficus, in se ipse sæviret acerrime asperis cilicis, ferreis catenis, cruentis flagellationibus, somnum breviter in nuda tabula, aut humi carpens, semper abstemius, villsimoque semper victitans cibo, & adeo tenui, ut arcendi morti potius, quam sustentandæ vitæ sufficeret.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, **V.** Et ad portas paradisi coronavit eum. **R.** Induit eum Dominus lorricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

Divino amore sic erat incensus, ut illum unum spirare, loqui, cogitare videretur. Pures noctis horas orationi dabat, cœlestibus affluens deliciis, & extra se sæpe raptus. Rem divinam eâ animi attentione, eo vultus ardore faciebat, ut sacrum, quo effervescēbat, ignem, etiam in adstantes diffunderet. Miraculis, aliisque donis supernaturalibus mirè claruit. Tandem vocatus ad præmia laborum, in Viennensis Diocesis pago, cui nomen est Laloyescus, corruptus le-

tha-

thali morbo ex laboribus contracto, cum sæviret hyems frigidissima, cœlestibus recreatus illustrationibus, ad æternam gaudia invitatus, spiritum Creatori reddidit anno millesimo sexcentesimo quadagesimo, die trigesima prima Decembris, vitæ suæ quadagesimo quarto. Ejus sepulchrum incredibili populorum per asperissimos montes undique confluentium concursu, ob sanctitatis miraculorum famam, quæ maxime percrebrescēbat, summâ devotione est frequentatum. Quibus omnibus permotus Clemens Undecimus Pontifex Maximus, Joannem Franciscum anno millesimo septingentesimo decimo sexto, Beatorum fastis adscrpsit. Clemens verò Duodecimus anno millesimo septingentesimo trigésimo septimo novis in dies fulgentem miraculis in Sanctorum alvum ritu solenni reitult decima sexta Junii die, quam ejusdem postea celebrandæ festivitati Benedictus Decimus Quartus assignavit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam; **V.** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **R.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te, Gloria Patri. Quia te.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Sint Iambi vestri præcincti, de Communi. lxx.

DIE XVIII. JUNII.

In Festo SS. Martyrum Cyriaci, & Paulæ Virginis. Duplex. Omnia de Communi plurimorum Martyrum, xxx. præter ea, quæ hic assignantur propria.

Oratio.

Præsta, quasumus omnipotens Deus: ut familia tua, quæ *Pars Æstiva.*

Sanctorum Martyrum tuorum Cyriaci & Paulæ triumphis gloriatur, fiat in Christi tui amore ferventior, & quos patronos veneratur in terris, pios apud te intercessores habere mereatur in cœlis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Et in Commemoratio SS. Marci & Marcelliani Martyr. Afia. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos. **V.** Exultabunt Sancti in gloria. **R.** Letabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

Præsta, quasumus omnipotens Deus: ut qui Sanctorum Martyrum tuorum Marci & Marcelliani natalitia colimus; à cunctis malis imminētibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno, Lectioes de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iij.

Quo tempore immans illa Diocletiani, & Maximiani persecutiōnis rabies in Christi quæque membra furens desavit, tanta Martyrum extitit laurearum multitudo, quæ duravit decennio, ut intra unum mensem decem & septem millia Christianorum martyrii palmam sint consecuti. Tunc Hispania nostra strenuis Christi militibus abundat, fulget Boetia Sanctorum confessione præclara, carceres & ergastula replentur Martyrum turmis, tribunalia Christi confessionem resonant, respiciuntur idola, sanguinem sacrum homines Deo digni, vitæ prodigi fundunt. Aspicies tunc Hispani Rufinam, & Justam cum Diogeniano pugnaire: CasarAugustæ Eueratidem nobilibus Sociis stipatam, crudeli da-

ciãno cervicis lætissimè trãdere: innumerabilem Mãyrturum cõpõra, illius jussu ibidem igne cremãri: Valẽrium aliõsque sacros Antistites dira pati, & exulãre: Toliti Leocadiam custodiã detentãm occumbere: Compluti tenellos Pastorem & Justum, tabellis litterãris in schola abjectis, sponte Daciãnum adire, mortem oppetere, jugulimque carnifici exultantes offerre: Cõrdubæ Acisclum & Victõriã fratres de Diõne triumphãre: Malacæ quoque Cyriacum & Paulam ãnimas pro Christo libentissimè dare: ãlios denique ãlibi dira supplicia, & mortem pati. Quod longum nimis esset enarrare.

R. Sancti tui Dõmine mirãbile consecuti sunt iter, serviẽtes præceptis tuis, ut invenirentur illi in aquis validis: **V.** Terra apparuit arida, & in Mari rubro via sine impedimento. **V.** Quõniam percussit petram & fluxerunt aquæ, & torrẽntes inundaverunt. Terra.

Lectio v.

Praclearissimè ergo athlætæ Christi Cyriacus, & Paula virgo Malacæ pagano iudici sistuntur, cui suæ fidei ratiõnem dant: pro qua etiam tuenda, innumera suppliciorum cruciãmẽta perpessi sunt. Et cùm ab ea nullatenus dimoveri possent, impius iudex vitam illis adimere tentans, lapidibus impeti mandat. Mãyrtres sacri læti properant ad pugnam, animosè lapides excipiunt, saxis sacra cõpõra tunduntur, lapidibus obruti occumbunt. Et inter ipsa crepitãntia saxa ãnimas cõelo reddiderunt circa trecentissimum salutis annum dẽcimo quarto Kalendas Julii. Sacerõ Mãyrturum sãngvine nobilibus Malacitãna civitas est purpuratã. Quæ post sexcẽtos septuaginta annos à perfidis Mahumetãnis possessa, in

Christianõrum ditiõnem reddidit dẽcimã nonã Augusti anno Dõmini millẽsimo quadringentissimo octogesimo sẽptimo, Cathõlicis Ferdinãndo, & Elisabethã regnantibus, qui ipsã die nobilissimam capiẽtes civitãtem, ovãntes sunt ingressi.

R. Vẽbera carnificum non timuẽrunt Sancti Dei, moriẽtes pro Christi nõmine: **V.** Ut hæredes fierent in domo Dõmini. **V.** Tradiderunt cõpõra sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes.

Lectio vj.

CUm autem præfati reges Mahãmeti spurcitiã ab urbe Malacã expellunt, lætãntes pro parta victoriã grãtias repẽdunt Deo: ac Innocentium Octãvum Petri Cãthedram tunc moderãntem victoriã adẽptã cõselum faciunt. Quibus pro capta victoriã, fidẽque ad domicilium antiquum restituta, lætus Romãnus Põntifex rescribit, certos faciẽs Cathõlicos Principes, Malacitãnam urbem Sanctõrum Cyriaci, & Paulæ martyriis sacrãtam; quõdque Protomãyrti Stẽphano lapidibus obruti fuerunt similes. Quare sacri Mãyrtres in Tutelãres, & Patrõnos ab incolis sunt asciti, sacro illõrum nõmini templo structo. In quorum cõlebrĩ festo Clerus, Senatũsque solẽmi, & frequẽnti cõtutu ad sacram ipsõrum ædem conveniẽtes, Sanctõrum Mãyrturum pretiosissimã in cõspẽctũ Dõmini mortis memoriã festivis gaudiis quotãnnis cõlebrant.

R. Tamquam aurum in fornacẽ probãvit electos Dõminus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tẽpore erit respectus illõrum; **V.** Quõniam donum & pax est electis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intelligẽnt veritãtem: & fideles in dilectiõne acquiescent illi. Quõniam. Glõria Patri. Quõniam.

In

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Cùm audieritis praelia, de Commun. plurimor. Mãyrturum.

Nona Lectio de SS. Marco & Marcelliano Mart. ut in Breviario.

In Laudibus fit Commemoratio de SS. Marco & Marcelliano Martyribus, Antiphona. Istorum est enim regnum cõelõrum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sãngvine Agni. **V.** Lætãmini in Dõmino & exultate justi. **R.** Et gloriãmini omnes recti corde.

Oratio. Præsta, quæsumus, ut supra. 41.

In ij. Vesperis fit à Capitulo de Sanota Juliana de Falconeriis Virgine, cum Commemoratione præcedentis, & SS. Martyrum Gervasii & Protasii Antiphona, Istõrum est enim. **V.** Lætãmini, ut supra. Oratio.

Deus, qui nos annuã Sanctõrum Mãyrturum tuõrum Gervasii & Protasii solemnitate lætificas: concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendãmur exẽmplis. Per Dõminum nostrum, &c.

DIE XXI. JUNII.

In Festo Sancti Aloysii Gonzagæ Confessoris. Duplex. Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, liv, præter sequentia.

Oratio.

Celẽstium donõrum distributor Deus, qui in Angẽlico jũvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum penitẽtia sociãstis: ejus meritis & precibus concedẽde; ut innocẽntem non secuti, penitentem imitemur. Per Dõminum nostrum, &c.

Lectioes primi Nocturni. Beatus vir, ut in eodem Commun. lxij. In secundo Nocturno, Lectio iv.

Aloysius, Ferdinãndi Gonzagæ Castellionis Stiverõrum Marchionis filius, festinãto propter vitæ periculum baptismo, prius cõelo, quam terris nasci visus, primam illam grãtiam tam constantè retinuit, ut in eã confirmatus crederetur. A primo ratiõnis usu, quo se Deo statim obtulit, vitam duxit quotidie sanctiorem. Novẽntis Florẽtiæ ante aram beatæ Virginis, quam parẽtis loco semper habuit, perpetuam virginitãtem vovit; eãque insigni Dei beneficio, nullã mentis, aut cõpõris pugnantentã servãvit. Reliquas ãnimi perturbatiõnes cepit ætate illa tam fortiter comprimere, ut ne primo quidem eãrum motu deinde incitaretur. Sensus etiam, oculos præcipuè, itã cohibuit, ut non modò illos numquam in faciem intenderit Mariæ Austriacæ, quam plures annos inter honorãrios Hispaniãrum Principis ephẽbos ferè quotidie salutãvit; sed ãtate ferè etiam vultu contineret. Homo propterea sinẽ carne, aut Angelus in carne merito appellatus.

R. Honestum fecit illum Dõminus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductõribus tutãvit illum: **V.** Et dedit illi claritãtem æternã. **V.** Justum deduxit Dõminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Adjecti sensuum custodiã cõpõris cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejunia, eãque plerumque modico pane, & aquã tolerãbat. Quamquam perpetuum fuisse per id tẽpus ipsius jejiniũm fideri potest, cùm ejus prædicia fer-

Sss 2 me

nè vix unciam aequarent. Sæpe etiam ter in die se fomis, aut catenis cruentabat: flagella quandoque canum loris, cilicia equorum calcibus supplèvit. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat, eo etiam, ut citius ad orandum excitaretur. Magnam quippe noctis partem, summâ etiam hyeme, solo tectus indusio, pòstis humi génibus, vel præ languore jacens ac pronus, in cœlestium contemplatione traducebat. Interdium quoque tres, quatuor, quinque horas in ea perstabat immòtus, donec unam saltem animo nusquam distracto percurrisset. Cujus constantiæ præmium fuit stabilitas mentis inter orandum alio non vagantis; imò perpèta velut extasi in Deo defixa. Et demùm ut unice adhareret, victo post triennale acerrimum certamen patre, & aviti principatus jure in fratre translato, Societati Jesu, ad quam cœlesti voce Matriti fuerat accitus, Romæ se adjunxit.

R. Amavit eum Dòminus & ornâvit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dòminus lorricam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

In tyrocínio ipso virtutum omnium magister haberi cœpit. Exactissima in eo erat legum etiam minimarum custodia, mundi contemptus singularis, implacabile odium sui; Dei verò amor tam ardens, ut corpus etiam sensim absumeret. Jussus propterea mentem à divinis rebus tantisper avèrtere, currèntem sibi ubique Deum irrito conatu fugiebat. Mirâ etiam proximis charitate amplexus, in publicis, quibus alacriter ministrabat, nosocomiis contagiosam lucem tra-

xit. Quia lentè consumptus, die quem prædixerat, undecimo Kalendas Julii, ætatis anno quarto & vigesimo jam inchoato, cum amica flagellis cædi, atque humi stratus mori postulasset, migravit in cœlum. Ibi eum Sancta Maria Magdalena de Pazzis tantâ frui gloriâ, Deo monstrante, vidit, quantum vix esse in cœlo credidisset, ipsimque sanctimonia insignem, & charitate Martyrem incognitum fuisse prædicavit. Multis etiam, magnisque claruit miraculis. Quibus ritè probatis, Benedictus Decimustertius Sanctorum fastis Angelicis juvenem adscripsit, atque innocentie & castitatis exemplar simul & patronum studiosæ præsertim juvenituti dedit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrèdere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contemptis vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te vidi. Glòria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vj. *Cap. 22. c*

In illo tempore: Respondens Jesus ait Sadducæis: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et reliqua. Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Lib. de Virginitate.

Virginitas est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior: & istud tibi assentior: ac si libet, illud adjungam, tantò nuptiis eam præstare, quanto cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt; ac

si

Lectio ix.

Qua enim queso, re differèbant, ab Angelis Elias, Elisæus, Joannes, veri hi virginitatis amatores? Nullâ, nisi quòd mortali naturâ constabant. Nam cetera si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affectu repererunt, quam beatæ illæ mentes: & idipsum, quo inferiøre conditione videntur esse, in magna esse eorum laude nonèndum. Ut enim terrarum incolæ, & hi qui essent mortali naturâ, possent ad illam virtutem vi & contentione pervenire vide quantâ, eos fortitudine, quantâ vitæ ratione præditos esse oporteat.

Te Deum laudamus. 12.

In secundis Vesperis Commemoratio Sancti Paulini Episcopi. DIE XXV. JUNII.

In Festo Sancti Guillelmi Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui infirmitati nostræ ad terendum salutis viam in Sanctis tuis exemplum, & præsidium collocasti: da nobis, ita beati Guillelmi Abbatis mèrita venerari; ut ejusdem excipiâmus suffragia, & vestigia prosequamur. Per Dòminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

Lectio iv.

Guillèlmus nobilibus Parentibus Vercellis in Insùbria natus, vix quartum decimum ætatis annum expleverat, cum miro quodam pietatis ardore flagrans Compostellam peregrinationem ad celeberrimum Sancti Jacobi templum aggressus est. Quod iter unâ amictus tunicâ, ac duplice ferreo circulo præ-

Sss 3

precinc

cinctus, nudisque pedibus prosequens, asperissima frigoris, & aestus, famis, & sitis summo cum vitæ discrimine perpessus est incommoda. Reversus in Italiam, novam ad sanctum Domini Sepulchrum peregrinationem molitur; sed quominus propositum exequatur, varia, atque gravissima intercedunt impedimenta, divino Numine ad altiora & sanctiora religioſam juvenis indolem retrahente. Porro in Siculo Monte biennium inter assiduas preces, vigiliis, chameennis, & jejunia commoratus; divina subnixus ope, caeco lumen restituit, cujus miraculi famâ percrebescente jam Guillelmus latere non poterat: quare iterum Hierosolyman cogitat, & âlacris se itineri committit.

R. Honestum fecit illum Dominus; & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

DEi autem monuit, qui eidem apparuit, à proposito revocatur, utilior ac fructuosior tamen apud Italos, quam apud externas Nationes futurus. Tum Monasterium in Virgiliani Montis Cacumine, quod deinde Virginis est appellatum, loco aspero, & inaccesso mirandâ exædificat celeritate. Socios deinde viros, & Religioſos adscicit, eosque ad vivendi normam Evangelicis præceptis, & consiliis summo opere accommodatam, tum certis legibus ex beati Benedicti institutis magnâ ex parte desumptis, tum verbo & sanctissimis vitæ exemplis informat.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam glorie induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lo-

ricam fidei, & ornavit eum. Et.

Lectio vi.

ALIIS deinde Monasteriis erectis, clarior in dies Guillelmi facta sanctitas, multos ad eum undique viros perducit, sanctitatis odore, & miraculorum fama allectos. Nam muti loquelam, surdi auditum, aridi vigorem, varioque, & immediabili morbo laborantes, sanitatem ipsius intercessionem ceperunt. Aquam in vinum convertit, aliaque complura mirabilia patravit; inter que illud non silendum, quod muliercula ad ejus castitatem tentanda missa, in ardentibus prunis humi stratis illesum, se voluavit. De qua re certior factus Rogerius Neapolis Rex in summam viri Dei venerationem adducitur. Demum tempore sui obitus Regi, aliisque prænuntiato, innumeris virtutibus & miraculis clarus obdormivit in Domino, anno salutis millesimo centesimo quadragésimo secundo.

R. Iste homo perfecit omnia, que locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Ecce nos reliquimus. lxxj.

In Laudibus & Vesperis fit Commemoratio S. Joannis.

FESTA JULII.

DIE V. JULII.

In Festo B. Michaelis à Sanctis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, lv. præter sequentia.

In Hymno mutatur tertius Versus.

Oratio.

MISERICORS Deus, qui beatum Michaellem Confessorem tuum

mo-

morum innocentia, & mirabili charitate præstare voluisti: concede quaesumus ejus intercessionem; ut à vitio liberati, & igne tui amoris incensi, ad te pervenire mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde fit Commemoratio Octavae Apostolorum.

In primo Nocturno, Lectiones de criptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MICHAEL à Sanctis, Vici in Hispania citeriore piis, & honestis parentibus natus, mundum ante contempsisse, quam agnovisse visus est. Penè infans perpetuum virginitatem Deo vovit; cumque rei conscius pater nuptias illi per jocum proponeret, in lacrymarum effusis puer, atque ad Desparæ Virginis aram confugiens, emissum votum multo etiam ferventius renovabat. Sexennis ad Sanctorum vestigia secunda in Monsenii spelincam secessit: in qua dum patientis Christi mysteria de genu piis affectibus, lacrymisque prosequitur, ab iis, quos pater ad eum querendum submiserat, deprehensus, domum redire cogitur. Neque tamen de præconcepto severioris vitæ proposito quidquam remisit. Unicum illi erat rerum cælestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, innocentis vero carnis maceratio, major, quam ut tenera illa ætas ferre posse videretur. Nam singulis hebdomadis ter jejunans, somnum super samentorum fascibus, saxo capiti proposito, carpens, flagellis in se ipsum acerrime sævere, quin etiam aliquando corpusculum, Sancti Francisci exemplo, in spinarum acervum conjicere, & cruentandum volutare non dubitavit. Quibus, aliisque cruciarum generibus admirabili illi penitentia proludebat, quam

postea ad hominum stuporem tantopere adauxit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ANNO ætatis duodecimo nondum expleto, solus, & pedes egradiens de domo & cognatione sua, Barcinonem contendit; ibique Sanctissimæ Trinitatis Redemptioſis Captivorum Ordinem inter Calceatos amplexus, quamprimum per ætatem licuit, solennia vota nuncupavit. Paucis inde post mensibus ad strictiorem Discalceatorum ejusdem Ordinis familiam se transtulit. In hac nova regularis disciplina palestra, mirum est quot, quantisque virtutum incrementis, etiam inter continuas studiorum exercitationes, superioris vitæ sanctitatem cummulaverit. Eâ enim religione leges omnes servabat, ut nullam ex iis, vel minimam violasse compertus fuerit. Virginitatem, quam quinquennis Deo voverat, inviolatam undique, illibatamque ad obitum usque servavit. Unica, eaque obsolescens utebatur tunica. Asperissimis ciliciis, ferreisque flagris corpus cruciabat. Jejunii cultor perpetuus, & semper abstemius, aliquot per hebdomadam dies sine ullo prosum cibo, potque transiebat; reliquis vero parcissime, ac duriter vesceretur. Somno brevissimum temporis spatium indigens, reliquum noctis dabat piis meditationibus, ac cælestium rerum contemplationi; quarum desiderio ita flagrabat, ut eum de cælesti patria, aut verba ipse faceret, aut dicentem quamquam